Beger, Lorenz: Thesaurus Brandenburgicus Selectus (Band 3): Continens Antiquorum Numismatum Et Gemmarum, Quae Cimeliarchio Regio-Electorali Brandenburgico nuper accessére Rariora : Ut & Supellectilem Antiquariam Uberrimam, id est Statuas, Thoraces, Clypeos, Imagines tàm Deorum, quàm Regum & Illustrium: Item Vasa & Instrumenta varia, eaque inter, fibulas, Lam

Coloniae Marchicae, 1701 Seite 292



Johannes Annius Janum & Vertumnum eundem Deum fuiſſe, integrâ diſſertatione contendit, cui ſi aſſentiaris, non à certis rebus, ſed ab omnibus erit denominatus; Janus enim apud Ovidium:

*Quicquid ubique vides, Cœlum, Mare, Nubila, Terras,*
*Omnia ſunt noſtra clauſa patentque manu.*
*Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi,*
*Et jus vertendi cardinis omne meum.*

Quicquid ſit, Diis ruſticis potiſſimùm accenſetur, ideòque Pomonæ maritus audit: Ideò fruges hortenſes manibus præfert: Ideò feſta ejus Vertumnalia, ſi Varronem audis, in Octobri celebrata. Et quid ſi etiam vilitas Templi in rem faciat, de qua ipſe conqueritur?

— — — *Non templo lætor eburno.*
*Romanum ſatis eſt poſſe videre forum.*

Porphyrio Vertumni ſacellum vocat, atque in vico Thurario fuiſſe. Ibidem fuiſſe & ſtatuam, Aſconius author eſt. De ſtatuæ vilitate, ejusque mutatione accipe, quæ Vertumnus ipſe apud Propertium:

*Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,*
*Ante Numam grata Pauper in urbe Deus.*
*At Tibi Mamuri formæ cœlator ahenæ*
*Tellus artifices ne terat Oſca manus!*

Sequitur

# NOCTULIUS.




Numen incognitum mihi exhibes, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Quis unquam Noctulii meminit? Sed age! ſi quid de eo habes, deprome. Sponium inſpiciamus, reſpondit DULODORUS. Pag. 115. Miſcell. & Inſcriptionem profert, & Noctulii ſimulacrum eôdem fere modô à Roſſio depictum meminit, quô in noſtro ſigillo viſitur. Inſcriptio talis eſt.

DEO

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/beger1791bd3/0323
gefördert durch die DFG